CHRIS[…] Autor,
[…]rum,
Dum […] tuus esto
[…] liber!

Notandum ex hoc libro

de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius

de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio XII.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

JOHANNE LANGIO

Cremnicensi Ungaro.

Publicè in Auditorio majori,

Ianuar: habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.

Magnif: Dn. RECTORI

GEORGIO MYLIO, SS.

Theol. Licentiato, eiusdemq; in celeberr. Academia Regiomont. Prussor. Professori ordinario, nec non Ecclesiæ Cathedralis Cneiphovii Pastori & Sambiens: Consistorii Assessori digniss.

Admodum Reverendo, Clariss: ac Excellentissimo Viro,

Dn JOHANNI BEHMIO,

SS. Theol. D. ejusdemq; in prænominata Academia Professori primario, nec non in Aula Illustri. Elect. Brandenb. Concionatori, Sambiensisque Consistorii Assessori, & p.t. Decano spectatiss.

Reverendis, Clarissimis ac Doctissimis Viris

Dn. JOHANNI VOGLERO,
M. JOACHIMO BABBATIO,
Eccles: Cathedralis Cneiphovii Diaconis vigilantissimis.

Dn. THOMÆ Liechtenstein/ Eccles: Neopolitanæ, quæ est Elbing. Pastori vigil:

Dn. Præceptoribus, Fautoribus ac Promotoribus suis, summo reverentiæ cultu colendis

Hanc Disput: Theol: inscribit, offertq;
JOHANNES LANGIUS, Resp.

Disputatio XII.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Respondente

JOHANNE LANGIO, Cremnicensi Vngaro.

DVplex medium ex parte DEI esse, quo gratiam suam nobis offert & applicat; suprà commemoravimus: Utrumq; nomine Verbi DEI venit, hoc tamen cum discrimine; quod *Vnum* dicatur ac sit Verbum Audibile; *alterum* Visibile: per *illud* intelligitur nobilissima doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ in sacris literis comprehensæ pars, ipsum videlicet Euangelium; ceu Spiritus S. fidei regenerationis, & renovationis, seu sanctificationis medium: per *hoc* intelligitur Sacramentum utrumq; N. T. *Initiationis*, & *confirmationis* h. e. *Baptismus*, & *Cœna Domini*.

Expeditis igitur, & ab erroribus repurgatis reliquis ex parte Dei salutis Mediis in Articulo conversionis, regenerationis, justifi-

cationis & sanctificationis concurrentibus; Insuper Media applicationis ab hæresibus vindicare voluêre Auctores nostri Libelli; institutâ utriusq; brevi repetitione ex DEI Verbo: canâ-Antiquitate, ac scriptis B. *Lutheri*. Nostrarum quoque erit partium vestigia eorum κατὰ πόδας premere.

Veniam autem nos facilè impetraturos apud Lectorem veritatis, & candoris studiosum confidimus; quod tractationis materiam sub unam incudem ab Auctoribus nostris redactam; bipartitam reddamus; duplici institutâ Disputatione: quarum *una* expediet Theoriam *generalem* de Sacramentis: *alteram peculiarem* de *Baptismo*. Digna sanè utraquè proposita peculiari tractatione, Materies! Priùs ergò de Sacramentis in Genere; posteà in Specie de Baptismo collationem, juvante Domino, instituemus.

I. Sedes Loci de Sacramentis in Genere.

Proponitur hic Articulus *in Aug: Confeß: artic.* XIII. his verbis: *De usu Sacramentorum docent* (Ecclesiæ magno consensu) *quod Sacramenta instituta sint, non modò, ut sint notæ profeßionis inter homines; sed magis ut sint signa, & testimonia voluntatis erga nos, ad excitandam, & confirmandam fidem, in his, qui utuntur proposita. Itaq; utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat*

credat promißionibus, quæ per Sacramenta exhibentur, & ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent; nec docent, fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

Ubi quilibet colligit Augustanam Conf: loqui de Sacramentorum fine, ac genuino usu: quæ quidem tractatio est *partialis*: *plenior* habetur in *Apologiâ artic.*13. Ibì enim confutatur numerus Sacramentorum *Pontificiorum* 1. ex *Definitione*. 2. *requisitis*; 3. *proprio usu*, *& fine* Sacramentorum propriè sic dictorum.

Deindè circa Abusum de *Missæ sacrificio*: ubi differentia profertur inter Sacrificium, & Sacramentum propriè sic dictum; Illud enim nos DEO offerimus; per hoc verò DEUS nobis gratiam suam offert. *Insuper* uberiùs hæc doctrina inculcatur sub titulo de *Usu Sacramenti*, & de *Sacrificio*. *Deniquè* brevissimè repetitur in *Artic.Smalcaldicis* part.3. Artic.8. sub finem §. Quid multis. Ubi verba B. *Lutheri* sic habent; *Quare in hoc nobis est constanter perseverandum, quod DEus non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale Verbum & Sacramenta, & quod quicquid sine Verbo, & Sacramentis jactatur, ut Spiritus, sit ipse Diabolus*, &c.

II. Summa hujus Loci, prout in Libello nostro pertractatur.

1. *Initiò* producitur ἀφορμὴ vel occasio re-

petendi Locum de Sacramentis, suppeditata à variis Hæreticis; quorum etiam *Antithesis* in medium proferetur:

Primò Pontificiorum tergeminùm heîc à viâ militari divaricantium: 1. Fingendo plura Sacramenta, præter, & contra expressum DEI Verbum. 2. Corrumpendo Verba institutionis Sacramentorum otiosis, ineptis, & superstitiosis fabellis. 3. Pervertendo verum Sacramentorum usum, ac persuadendo hominibus, Sacramenta prodesse ex opere operato etiam sine bono motu, seu fide utentis.

Secundò Anabaptistarum, Baptismi juratorum hostium. *Tertiò* Zwinglianorum Dypno-Sophistarum, corpus & sanguinem Domini è cœna tollentium. *Quartò* Calvini gregalium, Sacramẽtorum essentiam in significando collocantium partìm; partìm verò Efficaciam Sacramentorum enervantium separando actionem DEI à Sacramenti actione.

2. *Postmodum* subjicitur *Thesis* vel sententia Orthodoxa de Sacramentis tùm in genere; tùm in specie de Baptismo.

3. In *genere* Sacramentorum genuina indoles, finis, & legitimus usus asseritur ex Verbo DEI. 1. *Sacramenta esse divinitus instituta.* 2. *Sacramenta esse actiones* DEI *ipsius: adeoq; Deum Sacramentis adesse præsentissimum.* 3. *Deum actiones illas per ministerium tractare, & administrare:* 4. *DEum per Sacramenta offerre promissionem*

gra-

gratiæ cum omnibus beneficiis Christi Salvatoris, perq; illas in nobis esse efficacem: 5. Sacramenta non esse nuda signa tantùm acceptæ gratiæ. 6. Ad Sacramentorum actionem necessarium esse externum Elementum, per quod DEus verbo apprehensum, gratiam, & remißionem peccatorum communicet, & omnia beneficia sangvine Christi acquisita omnibus & singulis Sacramento ritè utentibus, juxta institutionem Domini.

4. Hæc de Sacramentis in *Genere*: reliqua quæ in *Specie* de Baptismo Auctores nostri in medium proferunt; sequenti Disputatione, σὺν Θεῷ recitabuntur.

III. *Explicatio Theseos, vel sententia Orthodoxa de Sacramentis in Genere.*

Agendum heîc nobis erit 1. De Sacramenti *vocabulis*, 2. *Definitione*. 3. *Caußis*. 4. *Affectionibus* in Genere. 5. *Divisione*. 6. *Convenientiâ, & differentiâ. &c.*

De Primo.

1. Etymon vocis *Sacramenti*, varii variè formant; nobis placet sententia illorum, qui Sacramentum à *sacrando* deducunt: id quod facit *Valla* lib. 6. c. 38. ibidemq; similibus exemplis evincit; *Vegetius* lib. 2. c. 5. de re militari, *Flac.* part. 1. Clav. Script. f. 1059. Ubi notandum

1. *Sacramenti* vocem origine esse *Latinam*. 2. ἄγραφον, adeoq; ἀδιάφορον quâ usum. 3. Usum hujus vocis esse perantiquum: reperitur quippè apud *Tertullianum* lib. 1. *contra Marcion: lib. de præscriptionibus adversus Hæreticos*; *Cyprianum lib. 2. Epist. 3. Serm. de Cœna Domini*; *Hilarium super Psal. 66. & Psal. 122.* Ambrosium *lib. 2.* quos inscripsit de *Sacrament.* Hieronym: *super Ezech. 44. de portâ clausâ*: August: *lib. 2. de doctrina Christian. c. 3. Epist. 118.* &c. Lactantium *lib. 4. Instit. c. 17.*

2. Porrò Sacramentum multifariàm capitur: *Primò* sensu *Politico* pro rebus DEO sacratis. 2. Pro juramento apud *Isidor. lib. 9. Origin. c. 3.* 3. Pro pignore apud *Varron: d. l.* Deinde *Ecclesiastico.* 1. pro re arcanâ, vel abstrusâ, quam Græci per μυστήριον: Vulgata autem versio per Sacramentum reddit. *Dan. 2. v. 18. 30. 47. c. 4. v. 6. 4.* Sic in N. T. *Ephes. 1. v. 9. c. 3. v. 3. c. 5. v. 32. Coloss. 1. v. 27. &c.* 2. Pro sacræ rei quovis *signo*; quale est *signum* crucis; aliiq; ritus in Baptismo adhibiti. 3. Pro actione *solemni* divinitùs institutâ, verbo peculiari mandatâ, & præscriptâ, ad applicandam & obsignandam Euangelii promissionem per externum Elementum. Ubi notandum: Sacramentum in tertiâ significatione usurpari 1. pro *toto* complexo Sacramenti, h. e. tùm pro *essentiâ*; tùm pro *fructu* & *usu* salutari Sacramenti. 2. pro Sacramento ratione essentiæ suæ considerato, constante è *re terrena*

rena

renâ, & *cœlesti*. 3. pro *parte* Sacramenti, adeoq́; pro *externo*, & visibili elemento : Et sic res Sacramenti opponi solet Sacramento : dùm illa capitur *vel* pro fructu salutari ; *vel* pro parte Sacramenti cœlesti; ex usu Patrum : uti videre est apud *Augustin:lib.3.contra Donatist.c.14.*

3. Nos mediam significationem attendimus, intelligimusq́; Sacramentum constans re terrenâ & cœlesti, vi verborum institutionis, uti jam dicetur.

De Secundo.

1. Est autem *Sacramentum actio sacra, & solemnis, â* DEO *immediatè instituta : in quâ ipse gratiosè præsens per certum externum, ac visibile elementum, rem cœlestem, mediante ministerio hominibus in* Ecclesiâ *distribuit : ut iis promißiones de gratuita peccatorum remißione, ac vitæ æternæ, applicet, obsignet & confirmet, quotquot Sacramentis ritè utuntur.*

2. Definitio Sacramenti imperfecta est caussalis : in quâ Generis loco ponitur actio : 1. quia omne Sacramentum à Spiritu S. nominibus actionem significantibus ; nec non verbis activis describitur, & instituitur, qualia sunt : circumcidite, mactate, manducate ; baptizate, edite, bibite, &c. 2. quia Sacramenti genuina forma est actio divinitùs instituta : tota quippè ratio Sacramenti consistit in usu, vel

actione, in pronunciatione Verborum institutionis, administratione elementorum in oculos incurrentium; eorumq; denique perceptione, conspicuâ. Unde simul determinatio hujus actionis desumitur, ac denominatio; quod nimirum sit sacra; solemnis: â Deoq; immediatè instituta: cujus mentione *Efficiens* innuitur: *Materia* mentione 1. externi vel visibilis elementi, reiq; cœlestis, 2. *Subjecti* h.e. hominum in Ecclesia: *Organica* mentione ministerii; *Finalis* deniq; est applicatio, obsignatio, & confirmatio promissionum de peccatorum remissione, & vitâ æternâ: de quibus jam dicendum erit.

De Tertio.

1. Inter caussas, Prima *Efficiens* est *principalis* ipse nimirum Deus: ut in V. T. & Θεάνθρωπος in Novo Testam: & quidem 1. *Immediatè*; ratio, quia Sacramenta sunt organa gratiæ efficacia: uti igitur solus Deus principaliter confert gratiam: ita solus immediatè instituit media, per quæ gratia confertur. 2. Quia Sacramenta sunt articuli fidei: uti autem nemini licet novos condere fidei articulos; ita nemini licitum instituere Sacramenta, præter ipsum Deum. 3. Quia Sacramenta pertinent ad cultum divinum, qualem nemo præter Deum instituere potis. 4. Insuper id probatur ex inductione omnium Sacramentorum V. & N. Test; sic *Circumcisionis* Sacramentū ipse

Deus

Deus instituit Gen.17.v.10. ritum *Agni Paschalis* ipsemet Mosi præscripsit Exod.12.v.3. Ita *Baptismum* ipse Christus instituit Joh.1.v.33. Matt. 28.v.19. Marc.16.v.15. Cœnam insuper Matth. 26.v.26.27.28. Mar:14.v.22. Luc.22.v.19. 1. Cor 11.v.24. Pertinēt huc Axiomata 1. *Omne Sacramētū propriè sic dictū præsupponit institutionē divinam immediatè.* Et contrà: *Sacramenta quorum institutio immediata à* Deo *probari nequit; non sunt propriè Sacramenta* : *Nulla creatura sive humana, s. Angelica potest instituere Sacramentum propriè sic dictum.*

2. Promulgatâ, ac præscriptâ certâ verborum formulâ : de quâ Theoremata : 1. *Verba cujuslibet Sacramenti institutionis habent suam peculiarem sedem, ex quâ etiam sunt judicanda, & discernenda* : instar reliquorum fidei Articulorum. 2. *Verba institutionis cujusvis Sacramenti non sunt obscura, tropica,* vel *figurata*; sed *perspicua, clara, propriissima; adeoque κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda.* Ratio, quia iis conduntur novi fidei articuli, qui debent verbis propriis, ac perspicuis (quoad sedem ordinariam) promulgari, alioquin fidei sua non constaret πληροφορία.

3. *A verbis institutionis nec ad dextram, nec ad sinistram recedendum* : idq; propter Efficientis 1. Auctoritatem divinam, 2. Sapientiam infinitam; ac 3. potentiam immensam; nec non 4. nostri erga mandata Dei obedientiam irrefragabilem, Deut.12.v.32. Prov.30.v.6. Gal.3.v.15.

4. *Omnia verba institutionis sunt practica*; tùm *mandati*; tùm *promissionis*; quorum etiam vifit unio Sacramentalis, ut suo loco dicetur.

2. Minus *principalis*, seu *organica* est persona administrans Sacramentum: cujus consideranda 1. *Conditio*, 2. *Qualitas*.

3. Quâ *conditionem* hæc observentur *Axiomata*:

1. *Causa administrans tenetur esse homo in Ecclesiâ, non extra eam.* Ratio; sunt namque Sacramenta bona Ecclesiæ divinitùs concredita; ideoquè non debent, nec possunt administrari per ejusmodi homines, qui professione suâ sunt ab Ecclesię gremio prorsus extorres: quales sunt omnes *Pagani*, *Turcæ*, *Iudæi*, & similes *quâ tales*: ubi nec *Arianos*, & *Photinianos* excipimus: cum dubium sit, num Ecclesiæ possint annumerari, ob corruptionem fundamentalium fidei Articulorum, ac Verborum Sacramenti enormem perversionem. Maximè omnium ad orcum ab administratione Sacramentorum relegamus *Diabolum*, ceu abjuratum DEI, hominum, nostræq; salutis hostem: eique nullatenus partes administrandi Sacramenta, vel in extremo necessitatis casu competere posse, coram Ecclesia DEI protestamur.

2. *Caussa administrans tenetur esse in Ecclesiâ persona ad publicum munus docendi, & Sacramenta dispensandi ab Ecclesiâ legitimè vocata*. Rom: 10. v. 15. 1. Cor: 1. v. 4. 1. Tim. 2. v. 7. 2. Tim: 1. v. 11. Heb. 5. v. 4. 1. Cor: 11. v. 23. (accepi à Domino quod & tradidi vobis) Quo nomine excluduntur à ritu

ritu administrationis quotquot à totâ Ecclesiâ vocati non sunt, sive *Politici*, sive *alii* in publico officio constituti; quantumvis doctissimi, ac donis necessariis præditi: donec ad hoc munus ab Ecclesiâ totâ fuerint requisiti; sive deniq; *privatim* degentes. *Insuper* excluduntur fœminæ, quippè quibus uti docendi; ita Sacramenta administrandi potestas est denegata. Heîc tamen duo excipimus 1. Axioma esse intelligendum *extra casum necessitatis*. 2. Sacramentum *initiationis* etiam à privato, masculo & fœmina (in Ecclesiâ tamen constitutis personis) administrari posse: aliter cum sacrâ cœnâ est comparatum: ubi valet illud *Augustini*; in casu necessitatis: crede, & manducasti, uti suo loco monebitur.

3. *Sine Ministro Ecclesiæ, Sacramenti veritas in ordinariâ dispensatione constare nequit.* Ratio 1. quia dispensatio illa dependet ex Christi institutione; non verò ex cujusvis arbitrio, vel voluntate: quippè nomine Christi legatoria (non authentica) 2. Cor. 5. v. 20. 2. quia potestas administrandi Sacramenta non est humana; sed *divina* Joh: 3. v. 27. 3. quia officium ministerii est cum efficaciâ cõjunctum in dispensatione Sacramentali, ob promissionem divinam, Christiq; ordinationem: quali quidem promissione actio alicujus extra ministerii officium constituti, destituitur. Ac proinde, negamus: verum esse illud Sacramentum; quod

vel

vel *extra* casum necessitatis quispiam privatu
dispensat; vel *in casu* tali necessitatis (præser
tim Baptismum) vel *Paganus*, vel *Turca*, *Iudæus*
&c. vel ipse *Cacodæmon* dispensare sive spontè
sive coactè deprehendatur. Nulli namque ho
rum titulus ac res ministri competit; tali
quippè tenetur esse in *Ecclesiâ*, uti jam dictum
4. Quâ *Qualitatem* Ministri; is deprehendi
tur vel *bonus*, vel *malus*: tùm in *doctrinâ* sive fi
de; tùm in *vitâ* sive *moribus* h. e. Malæ fidei ce
Hæreticus, vel *Schismaticus* & pravæ vitæ.

Axioma: A Qualitate ministri non depende Efficacia Sacramenti.

5. Perpetuò id præsupponimus; mention ministri nos intelligere personam *in Ecclesiâ* r tè officio publico fungentem; maximè talem quæ gremio Ecclesię inserta sit per Verbum & Sacramenta. Et sic contingit Hæreticos ess Ecclesiæ ministros; ita tamen, ut *vel* latiten in occulto, sententiam privatìm retinente hæreticam; *vel* falsam doctrinam profiteantu sic tamen, ut retineant essentialia Sacrament Hinc jam de talibus Axioma intelligi poss admittimus: nequaquàm verò de *Paganis*, v ipso *Diabolo*.

6. Deinde mentione *qualitatis*, aimus intel ligi posse *vitam* Ministri *puram*, vel *impuram*. Neutram verò vel conducere, vel officere poss integritati Sacramenti. Ratio 1. quia no minister; sed DEUS est, qui Efficaciam Sacr-

menti

mento confert, Joh. 1. v. 33. 1. Cor. 1. v. 13. c. 3. v. 7. 2. quia Sacramentorum Auctor *solus* DEus. 3. quia *idem* Christus *ubiquè* qui Sacramentum per ministros dispensat. 4. quia collatio gratiæ per Sacramenti administrationem non est donum DEI *singulare*; sed *commune*, propterque alios collatum divinitùs ministro Ecclesiæ: E. ipsius impietate nec vitiatur, nec amittitur; æquè ac radii Solis non inquinantur irradiendo loca spurciora; nec latices fluendo per canalem ligneum aut plumbeum: uti inquit B. *Augustin. lib. 3. contra Crescon. c. 8.* & *lib. 3. contra Donat. de Baptism. c. 10.*

7. Ad qualitatem Ministri spectat Quæstio de *intentione*; de quâ Axioma:

Intentio Ministri non est necessaria ad Efficaciam & integritatem Sacramenti. Dupliciter capi solet terminus *intentionis*. 1. quoad *objectum*, vel *actum*, aliàs actualis dicta; quæ ab actione dispensationis, utpote actu rationali abesse vix potest. 2. quoad *finem*, vel effectum faciendi scilicet, id quod facit Ecclesia sensu Papistico; vel efficere regenerationem, aut coalitionem cum Christo. Atque hanc in Axiomate intelligimus. Ratio nostræ negationis est, quia finis Sacramenti, non ex Ministri intentione; sed ex institutionis certitudine, & veritate dependet.

8. *Materialis* caussa est res *duplex*: 1. *terrena* seu certum, ac externum Elementum. 2. *cœlestis*.

9. De

9. De terrenâ Axiom. 1. *Elementum in quovis Sacramento non est arbitrarium, sed Verbo* DEI *determinatum.* Id quod ex inductione omnium Sacramentorum constat.

2. *Elementum externum pro varietate Sacramenti est varium.* Sic in V.T. in *circumcisione* Sacramenti Elementum externum erat pellicula cum sanguinis humani profusione: in *Agno Paschali* externum Elementum erat caro & sanguis Agni mactati. Sic in N.T. *Baptismi* Elementum est *aqua* munda & naturalis. In *Cœna Domini*, est *panis* & *vinum*.

10. Res *cœlestis* Sacramenti est ejusdem altera pars συςατικὴ; de qua Theorem: 1. *Res cœlestis est invisibilis, ac Mystica*; opposita externæ, ac visibili.

2. Res *cœlestis sequitur indolem sui Sacramenti, cuius est pars essentialis.* Siquidem pro varietate Sacramentum variat. In Vet. Test: res cœlestis erat *Typica*, tùm in circumcisione; *tùm* in Agno Paschali: sic in N. Testam: *alia* res cœlestis est in Baptismo; *alia* in cœna Domini; uti infra explicabitur.

3. Res *cœlestis uti* 1. *ab Elemento externo*; ita 2. *à Verbo institutionis.* 3. *& re Sacramenti est realitèr diversa, ac distincta.* Ab Elemento quidem *toto genere*; à *Verbo* verò, 1. Hoc namque pertinet ad caussam *Efficientem* adeoq; externam; Res verò cœlestis ad caussam materialem, & internam Sacramenti. Ubi non contradicimus

aliis

aliis Theologis, qui per Verbum promissionis rem promissam, ceu alteram Sacramenti partem intelligunt; juxta illud *Augustini*: *Accedat Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Tract: 80. in Johan: A *re Sacramenti* insuper, hæc namque non ingreditur συςατικῶς Sacramenti essentiam; est quippè usus, & fructus, adeoq; Gratia, & effectus Sacramenti, & quidem separabilis à Sacramento ex accidenti, non verò ex Dei intentione.

11. *Formalis* caussa Sacramenti consistit in actione, uti suprà dictum. Hinc illud tritum: *Extra usum non est Sacramentum.* Quod ut meliùs intelligatur, sequentia notentur *Theoremata*:

1. *Forma Sacramenti non absolvitur actione partiali; sed totali.* Non enim sufficit ad rationem Sacramenti, *vel* sola elementa tractare; *vel* verba institutionis recitare; aut porrigere, & recipere; sed requiritur *tota actionum copula* pro ratione & indole cujusvis Sacramenti.

2. *Forma Sacramentalis, seu actio Sacramenti completa importat* 1. *Unionem realem rei cœlestis cum terrena: ex Verbo promissionis in ipsa institutione expresso dependentem:* 2. *nec non prædicationem mysticam, Sacramentalem, & inusitatam.*

12. Duo autem illa sic differunt: ut *Unio* prædicationis sit caussa, & fundamentum: *Unio* autem rei terrenæ cum cœlesti sit de essentia Sacramenti: Neutrum enim rationem Sacramenti absolvit sine altero disjunctim: nam

nec *actio completa est sine unione Sacramentali; nec actio Sacramentalis potest vel cogitari citra unio-nem rei cœlestis cum terrenâ*: Hinc intervenit u-trique mutua reciprocatio: quod *unio Sacra-mentalis non sit extra usum quærenda, sive extra actionem completam*: h.e. *nec in sola verborum insti-tutionis recitatione; nec in Elementorum ex usu profano ad sacrum separatione*: sed *in solo usu ex-terno Sacramenti, ob institutionis* DEI *promissio-nem, & virtutem*. Et contra: quod *actio illa Sa-cramentalis præsupponat, vel importet unionem Sa-cramentalem, realem ac Mysticam rei cœlestis cum terrenâ.*

13. Cæterùm & hoc necessariò addendum *unionem illam realem* debere intelligi de Sacra-mentis *Novi Test*: quippè in iis nobis exhibe-tur *corpus*: contrà in V.T. uti erant *umbræ* ex-hibitæ in Sacramentis: ita *unio* heîc non *fu realis*; sed σχετική inter rem terrenam, & re cœlestem tùm temporis *nondum* præsentem sed in Novo demùm Testam: exhibendam, h. inter sanguinem & corpus Domini nostri J su Christi.

14. *Finalem* caussam sub finem membri supra tetigimus. In universum *duplex* finis S cramentorum à Theologis recensetur: 1. e *hibitionis* quod sint media & organa, ac ὀχή-ματα, per quæ Deus *tùm* exhibeat, & offera *tùm* applicet credentibus promissionem Eua gelii propriam de remissione peccatorum; n

sti

ſticiâ & vitâ æternâ. Ab hoc fine Sacramenta vocantur *Signa* in Apolog: *Aug: Confeß. art.* 13. ex *Rom.* 4. *v.* 11. *&* ex *Gen.* 17. *v.* 11. non nudè *ſignificantia*; ſed προσφερόμενα ſeu *exhibentia* rem cœleſtem Sacramenti. 2. *Confirmationis* & *obſignationis*: quod Sacramenta ſint *ſignacula*, & *ſigilla* divinæ erga nos gratiæ, fidei in nobis confirmandæ gratiâ divinitus inſtituta, *Rom*: 4. *v.* 11.

De Quarto:

Vbi Axiomata de Sacramentis Generalia.

1. *Sacramenta ſunt Verbum viſibile.* Auguſtin: *Tractat.* 80. *in Iohann*: Ratio, quia ex parte DEI adhibentur humanis ſenſibus externis, ob noſtram imbecillitatem: quo modo etiam â verbo audibili differunt; feriunt quippè omnes ſenſus humanos externos 1. *Oculos*, quia videntur. 2. *Aures*, quia verba inſtitutionis audiuntur. 3. *Linguam*, quia in Euchariſtiâ guſtantur; 4. *Manum*, quia palpantur & tanguntur; *naſum*, quia odorem præbent. Quot modis verò conveniant, & differant Verba *viſibilia* & *Audibile*, ſuo loco indicatum fuit.

2. *Sacramenta ſunt Euangelii appendices.* Nam quicquid Euangelio competit generatim; illud ipſum competit Sacramentis ſpeciatim: licet Sacramenta alio modo ſint ſalutis media, ac Verbum Euangelii.

3. *Sacramenta sunt bona Ecclesiæ*, 1. ratione juris *possessorii*, quippè huic soli divinitùs ceu mysteria salutis concredita; uti patet ex inductione omnium Sacramentorum. 2. ratione juris *usurpatorii*, quod ii duntaxat habent, qui in gremio Ecclesiæ nascuntur, & educantur: ita infantes recens nati in Ecclesia habent aditum ad usum baptismi, sic adultiores habent aditum ad cœnam præmissâ pœnitentià. Contrà verò infans parentum paganorum non statim Sacramento Baptismi initiatur præsertim invitis parentibus, excepto mancupii casu; in quo liberi infidelium transeunt in potestatem alienam Christianorum. Sic *Turca* vel *Judæus* meritò ab usu Eucharistiæ arcetur, ob defectum fidei in Christum, ceu dignæ usurpationis fundamentum. Horum tamen nulli denegatur jus *aditorium*, & *petitorium*: & sic Sacramenta sunt instituta *pro omnibus hominibus*; quippè quos omnes, nullo excepto DEUS vult salvos, nullos verò perire. Cæterum jus petitorium est conditionatum, vel ordinatum ob certa requisita, à Paganis, gente & professione, exigenda.

4. *Sacramenta sunt necessaria*; ratio 1. quia sunt media, in quibus quærere & accipere debemus gratiam DEI, & salutem æternam: 2 quia per Sacramenta fœderi divino inserimur & in eo conservamur.

5. **Omne Sacramentum habet externum aliquod corpo**

corporale, & visibile Elementum, ceu signum, certè externo ritu tractandum, exhibendum, & usurpandum. Ratio, quia Sacramentorum officium est, aliquid sensibus nostris ingerere, utiq; oportet ea esse externo signo vestita.

6. *Omnis Sacramenti administratio debet niti expreßâ & certâ Verborum institutionis formulâ, non verò per διάνοιαν deductâ.* Vel: *Omne Sacramentum propriè sic dictum, habet expressum verbum tùm mandati, tùm promißionis.*

7. *Omne Sacramentum habet divinam promissionem sibi adnexam de gratiâ* DEI, *ceu Sacramenti fructu.* Ubi notandum: 1. *promißionem* præsentiæ DEI & gratiæ non esse oppositam. 2. oportere non tantum nudè in sacris esse fundatam; sed *Signo Sacramenti* ex divinâ ordinatione adnexam: 3. *Objectum* promissionis non esse quodlibet DEI donum, sive corporale; sive spirituale; sed *Euangelii proprium*, h.e. *bona de remißione peccatorum spiritualia*, ac *salutem conferentia.* 4. *Bona* illa ac DEI gratiam non modò *significari*; sed ex ordinatione DEI *offerri, exhiberi*; credentibus insuper *applicari*, & *obsignari*, Rom: 4. v. 11.

De Quinto.

1. Dividuntur Sacramenta, quod *alia* sint Vet: *alia* Novi Test:

2. Vet. Testam: Sacramenta sunt *duo*: *Circumcisio*, & *Agnus Paschalis.*

3. Circumcisio *erat Sacramentum initiationis*, vel *regenerationis*, per *quod infantes & adulti circumcisi fœderi divino inserebantur, inquè eo confirmabantur, & obsignabantur*, Gen:17.v.9. Rom: 4.v.11.

Quod enim hodiè Baptismus; idem olim præstare solebat circumcisio h. e. conferebat fidem salvificam in Christum venturum; adeóque plenam justificationis Gratiam circumcisis præstabat.

4. *Agnus Paschalis erat Sacramentum confirmationis* Exod.12. Præstabat enim Israëlitis fidelibus augmentum Gratiæ & robur fidei, atque incrementum addebat; non autem eos de novo sanctificabat; id quippè Circumcisionis proprium erat. Fusior de utroq; dissertatio videatur apud Theologos.

5. *Novi Testam:* Sacramenta, præter *duo* plura non possunt dari, nedum probari. *Vnum* est *Baptismus*; *alterum Eucharistia*. Binarius hic numerus alibi solidè à nostratibus Theologis evincitur 1. à *collatione* Sacramentorum Vet: & Novi Testam: 2. à *requisitis* veris Sacramentorum, tùm in genere; tùm in specie: qua de re sub finem. 3. à Patrum *testimonio*. vid. Dn. *Chemnic: part.* 2. *Exam. Concil. Trid.* Dn. *Hutter.* l. c. *de Sacram.* c. 4. *de Sacram: numero.* fol. 623. seqq.

6. Cæterùm utriusq; Sacramenti tractatio specialis in sequentibus Disputationibus à nobis expedietur juvante Domino: Heic Colo-

phoni

phonis loco lubet subjicere brevem Sacramentorum V. & N. Testam: *collationem*; ratione *convenientiæ* & *differentiæ*.

De Sexto.

1. *Conveniunt* Sacramenta Vet: & N. Test: 1. *Efficiente*, 2. *Materiâ* quoad rem *externam Elementarem*, & *visibilem*. 3. *Formâ* seu actione, ex præscripto vel mandato divino expresso. 4. *Fine*, quod sint signacula justiciæ fidei *Rom*: 4.*v*.11. 5. *Efficaciâ*, quod utrobique sint media conferendæ gratiæ. 6. *Numero* binario, 7. *Latitudine*, utrobique quod Ecclesiæ omnium membrorum bona. 8. *Necessitate*: utrobiq; usus Sacramentorum non est arbitrarius; sed necessarius: 9. *Officio*, utrobique *unum* Sacramentum *initiationis*; *alterum confirmationis*: quo spectant *Axiomata* Generalia, suprà enumerata, ex æquo Sacramentis V. & N. Testamenti competentia.

2. *Differunt* sequentibus κειτηρίοις Sacramentis Nov. Test. *propriis*.

1. *Sacramenta* N. T. *sunt ab ipso* Θεανθρώπῳ *Christo immediatè instituta in Novo Testam*: Sacrament: Baptismi *Matth*.28.*v*.19. *Ioh*. 1.*v*.26. 27. 30. 31. 34. Cœnæ, *Matth*.26. *v*.26. *Mar*. 14. *v*. 22. *Luc*. 22. *v*. 19. 1. *Cor*. 11. *v*. 24. contrà Sacram: V. Test. *antè incarnationem ab ipso* DEO sunt instituta in V. Test.

2. *Sacramenta* N. *Test: durant ad finem seculi.* *Baptismus* Matth: 28. v. 20. *Eucharistia* 1. Cor: 11. v. 26. Contrà Sacram: Vet. Test: *cessarunt* in morem typorum, inq; N. Test. cum Synagogâ Judaicâ honestè sepulta sunt.

3. *Sacramenta Novi Testam. tàm latè patent; quàm latè patet universus orbis Christianus.* Id quod patet ex mandato Christi *Matth.* 28. *v.* 19. *Marc.* 16. *v.* 15. regniq; Christi conditione, & indole.

Contrà Sacramenta Vet: Testamen: solius populi Judaici ambitu comprehendebantur.

4. *In Sacramentis Novi Testam. tria discreta proponuntur* 1. *Species visibilis;* 2. *Veritas praesens rei cœlestis;* & 3. *Virtus Gratiae spiritualis;* uti ait *Bernhard*: Serm: de Cœna Dom: H. e. Sacramenta Nov. Test. absolvuntur, vel constant re *terrenâ* & *cœlesti*, non absente sed *praesentissimâ;* ob unionem non σχετικὴν relativam, vel significativam; sed realissimam Mysticam tamen: Id quod de singulis suo loco probabitur: quae res *cœlestis est diversa â virtute Gratiae Euangelii propriae*, ceu fructu & effectu Sacramenti.

Contrà, in Sacramento Vet: Testam: cum specie visibili *non uniebatur praesentissimè* res cœlestis, h. e. Sanguis & corpus Christi; *sed relativè*, & *significativè* adumbrabatur *Col.* 2. *v.* 17. *Heb.* 10. *v.* 1.

5. *Sacramenta* Novi *Testamenti sunt feliciora, salubriora; Virtute majora; utilitate meliora, actu deniquè*

denique feliciora, ex *Augustin*:lib.19.contr.Fauft. cap.13.& ſuper Pſal:73. Ratio, Sacramentum enim ſequitur indolem ſui Teſtam: Uti itaq; modus revelationis in Nov.Teſt.illuſtrior eſt; lux fidei major; & menſura Gratiæ uberior: ita quoque per Sacramentum N. Teſt: Gratia Chriſti luculentiùs, pleniùs, perfectiùs, & uberiùs diſpenſatur credentibus, corpore ipſo veriſſimè exhibito: facilitas inſuper horum patet ex minori laborioſitate, & difficultate præ Sacramentis Vet. Teſtam.

Plures differentiæ deſumi poſſunt, *partim* ab Elementis ſeu Symbolis externis; quę quibusvis Sacramentis utriusq; Teſtam: ſunt peculiaria; *partim* â ritu Diſpenſationis, qualis in Vet.Teſtam.erat cruentus; jam verò in N. Teſtam.eſt incruentus.

Quomodo inſuper Sacramenta Novi Teſtamenti â ſe invicem differant; in peculiari cujuslibet explicatione ſuo loco indicabitur.

IV. Explicatio Antitheſeos.

Veteres in hunc locum impingentes hæreſes occurrunt 1. *Manichæorum*, Sacramenta ceu rem malam, à Deo malo profecta eſſe, blasphemantium.

2. *Donatiſtarum*, Sacramenti Efficaciam à miniſtri qualitate ſuſpendentium.

3. *Scholaſticorum* 1. imprimis tempore *Longobardi* diſceptantium de Efficaciâ Sacramen-

torum Vet. Testam. eamq; elevantium; somniantium verò, eadem profuisse non ex *opere operato*; sed ex *opere operante*, h.e. per modum *meriti* ex suscipientis *devotione*. 2. Sacramenta respectu Gratiæ gratum *facientis* esse caussam, sine quâ non; respectu verò Gratis *datæ*, esse caussas efficientes; respectu deniq; *debilitationis* fomitis, seu roboris potentiarum, esse caussas *disponentes* ad gratiam.

V.

Renovatas hæreses ritè recenset **Libellus** noster, cujus etiam ductum sequemur.

1. *Pontificiorum* hallucinantium circa Sacramentorum 1. *Causam effic.* Principalem, ubi *Bellarmin.* lib. 1. c. 23. humanam Christi naturam quoad institutionem Sacramentorum caussis instrumentalibus adnumerat: ex *Concil. Trid. Sess. 7. Can. 1.* vid. *Becan. Man. lib. 1. cap. 11. p. 333.*

2. *Intentionem* ministri esse necessariam in Sacramentis; Concil. Trident. *Sess. 7. Can. 11. 12.* Bellarm. *lib. 1. de Sacram. c. 27.*

3. *Formam* Sacramenti ante ejusdē usum, ac post, fingunt Pontificii communitèr. Idq; ratione *Eucharistiæ*, Becan. *Manual. lib. 1. cap. 11. pag. 332.*

4. *Finem* Sacramenti & effectum esse, conferre Gratiam, ex *opere operato* Concil. Trident. *l. c. Can. 8.* Bellarmin: *lib. 2. c. 1.* nec non characterem imprimere; *Can. 9.* Bellarm. *lib. 2.*

c. 18.

c.18.seqq. adorari, circumgestari &c. Neque *Sacramenta conferre fidem*. Becan. *Man.d.l.pag.* 333.334.

5. Esse *septem* numero Sacramenta Novæ legis: Concil.Trid. *Sess.7.Can.1.Bell.Becan.&c.* Hæc & id genus alia paradoxa, solidè refutavit Dn.Chemn. part.2. Examin. Concil.Trid. ab initio usque ad finem.

II. *Anabaptistarum*, Sacramentorum 1. *necessitatem*; 2. *Efficaciam* exterminantium. *Deinde* potestatem administrandi promiscuam docentium.

III. *Calvinianorum* 1. Terminum Sacramenti *execrantium*; *Carolstad.* lib. de imaginib. & Sacramentis contra *Luther.* Anno 1525. *Zvvinglius* lib. de vera & falsâ religione; cap. de Sacram. edit. Tigurin. Anno 1525.

2. Sacramenta Vet. & Novi Testamenti confundentium, ratione partis essentialis cœlestis: utrobiq; significativam statuendo. Hinc Keckerm. talem ponit Canonem: Sacramenta Vet. & N. Testam. substantia conveniunt; Syst. Theol. lib.3.p.450. *Formam* Sacramentorum in unione Scheticâ, & Analogicâ consistere fingentium. *Trelcat.* lib.2. Inst. cap.9. *Sadeel. Zanchius*; *Vrsinus, Pareus, Zepperus.*

3. *Fidem* deniq; ad Formalem Sacramenti caussam referunt. *Piscator, Sadeel, Vrsinus, Pezelius, Zepperus,* &c.

4. Fi-

4. *Finalem* insuper caussam Sacramentorum esse mera signa divinæ gratiæ, rei cœlestis absentis negantium: *Calvin.* lib. 4. Instit. c. 14. sect. 17. *Beza* part. 2. Respons. ad act. Colloq. p. 115. 116. *Grynæus, Tossanus, Piscat. Vrsin.*

5. *Efficaciam* Sacramentis detrahunt, eandem à Spiritus sancti actione separando, ac impropriam esse, adeoque in cohonestatione *nominali*, vel *verbali*, cum *Schwenckfeldio*, & *Anabaptistis* collocando. Erroribus hisce oppositam, vide Tom. 2. Gissens. disput. 5. 14. de Sacram: in Genere.

Qui quidem, & id genus alii errores plures si cum *Augustana Confeßione*, *Apologiâ*, & *Corpore nostro Prutenico* collati fuerint; pleno Spiritu *Bergio* in os contradicent, ac si ille cum aliis Calvinianis nil diversum ab illis libellis nostris Symbolicis unquam docuisset: uti quidem protestatur in sua Wieder*typosi* der heylsamen Lehre scil: *in Concione priori Valedict: circa loc. de Scripturæ S. sub finem.* Nec putamus *Bergium* deserturum esse fraterculos suos, ac Calvini gregales, quos allegavimus. Quod si verò diverticula more consueto quesierit, deducendus erit *ad Disputationem* suam *de Controversiâ Sacramentaria* Anno 1617. habitam; in quâ assignatos illos errores non modo strictè retinet (primo duntaxat ceu Carolostadiano excepto) sed etiam rigidè urget, eosque infelici suâ conciliatione palliare conatur.

natur. De *Sacramentis in Genere* Th.50. 1. Causam *materialem* Sacramenti, *solâ re externa seu elementari statuit absolvi*: per rem cœlestem verò indigitat *Bona* ex fœdere *gratiæ*, *promissa oblata*. At verò hæc potiùs ad usum, & fructum salutarem pertinent, suntq; communia Sacramentis Vet. & Novi Testamenti, immò extra Sacramenti usum fidelibus obtingentia. Perperam quoque *Thes.* 51. salutarem effectum de substantiâ Sacramenti v.g. ablutionem internam d. substantiâ Baptismi) esse contendit. Contrà verò Sacramentum integrum sæpiùs administratur, & percipitur hoc absente; uti patet exemplo Hypocritarum.

Thes. 55. 56. 57. 58. 59. 61. 63. 64. occurrit multiplex error!

I. *Nudis elementis essentiam Sacramenti absolvi.*

II. *Inter rem Elementarem & rem cœlestem propriè nonnisi relativam quandam & significativam Unionem intervenire.*

III. *Diverso organo Elementum, Diverso etiam rem cœlestem participari Sacramentalitèr.*

IV. *Fide destitutos non percipere rem cœlestem Sacramenti.*

Insuper differentiam Sacramenti V. & Novi Testamenti, non nisi in Signis, h. e. Elementis; modo significandi clariori, & efficaciori collocat Thes. 56. Neque ad hypotyposin sanorum Verborum quadrare poterunt quæ de *Phrasibus Sacramentalibus*

libus addit: *Thes.* 66. quæ facili negotio in significativas resolventur, ob unionem in Scholâ Calvinianorum significativam, non autem realem Elementorum cum re cœlesti: Qualis namque unio; talis prædicatio.

De *Efficaciâ* Sacramentorum videtur quidem honorificè sentire *Bergius Thes.* 60. *ea organa seu media, & instrumenta gratiæ efficacia appellitando;* Verumtamen sensu paulò post suspecto, denegando Sacramentis officium effectivum: 1. Ideò quod *gratiam* DEI *non vi quadam sua, & per se in nobis operentur.* Ubi mirum non est à *Bergio* vim quandam Sacramentis effectivam gratiæ detrahi: quia ex ipsius mente Sacramenta sunt signa adeoq; elementa externa, citra adunitionem realem rei cœlestis: ac proinde sicuti Sacramentū est: ita etiam operatur, h. e. Efficacia Sacramenti erit significativa: atque talis quidem ex consensu omnium *Calvinianorum; effectiva* verò non nisi phrasi *Sacramentali*, & *cohonestativâ*. 2. Ideò quod, *quæ Efficacia est verbi, eadem quoque sit Sacramentorum*, uti loquitur *Thes.* 60. Nos subsumimus: Atqui *Verbum* DEI *non est medium, & organon efficax Gratiæ in Scholâ Calvinianorum*: uti *Disput.* 2. probavimus *Thes.* 17. §. 3. nec diffitetur *Bergius*, qui sese in *concione priori Valedict: art.* 11. (§. 2. Von wem der Glaube in vns erwecket werde) Soricis instar *Schwenckfeldianum* prodidit sic scribens: der H. Geist/ der HERR seinem

Wort

Wort/ vnd Sacramenten kräfftig ist/ der muß vnsere Sinn vnd Hertzen/ aus blinden sehend/rc. vnd glaubig machen. Phrasis hæc est è Schola *Schvvenckfeldii* desumta, quam is plùs quàm centies urget contra Verbi Dei efficaciam: nullatenus admittens nostram orthodoxam: der heilige Geist/der Durch sein Wort vñ Sacramentē kräfftig ist. Ubi nunc consistet cum suâ hypotyposi *Bergius*? quæ sanè non sanorum, sed morbidorum, immò hæreticorum erit æstimanda meritò verborum? At inquis: *Bergium* correxisse linguam *d.l.*§.3. der H. Geist wircket Bey vnd Durch das gehör des eusserlichen Worts: also daß Er vermittels desselben auch innerlich/vnsern verstand erleuchtet/ vnsere Hertzen bewegt/ vnd auffthut/rc. Resp: Fateor correctionem *linguæ*, sed non mutationem *mentis*, & sensus Schvvenckfeldiani: Egregia quippè hæcce elogia de Verbo Dei (ut & de Sacramentis) intelligenda esse vel *phrasi Sacramentali*; h.e. impropriâ, ac tropicâ; adeoq; significativâ; vel *cohonestativâ*; sic interpretantibus omnibus Calvinianis, *Bergius* non abnuet; aut si renuerit, placita suorum Patriarcharum unâ liturâ deleat, iisque apertè aliquando contradicat: quod quàm diu facere tergiversatus fuerit; tàm diu nullam apud nos merebitur fidem,

quam-

quantumvis centies linguâ ſpecietenùs ſorthodoxâ loqui videatur.

Eat nunc *Bergius*, & infelici ſuâ conciliatione palpum obtrudere imperitioribus ſatagat, ac ſi nulla inter noſtras, & Calvinianas Eccleſias realis controverſia in præſenti doctrinâ intercedat. Hanc enim, qui ex hactenus dictis, vel nondum cum *Bergio* animadvertit; eum *Tiroeſiâ* cæciorem; vel qui datâ operâ diſſimulat; Veteratorem fraudulentum pronunciare non dubitamus.

IV. Photinianorum 1. Sacramenta pro nudis Ceremoniis æſtimantium. 2. eorum neceſſitatem. 3. partem cœleſtem; 4. Efficaciam impugnando, & deſerendo.

Deo Spiritui S.
ſit Laus & Gloria.